

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica septuagesimae

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Qui igitur vita æterna potiri cupit, corde & ore confiteatur: Credo resurrectionem carnis & vitam æternam. Moses enim & Elias, ceu Candidati æternitatis, testantur de vita beata, eaque æterna. Divites vero epulo de æterna infelici vita & tormentis, dum exclamat: Crucior in hac summa, Luc. 16. v. 24.

III. *Sermonem Christi capito.* Sic enim Pater cœlestis: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, hunc audite. Quo ipso Filium suum toti mundo tanquam universalem Doctorem commendat, ut ei obediamus, Deut. 18. v. 15.

Audite igitur eum, eique obedite, omnes homines, quando ait: Quiescite agere perverte, discite bene facere, Esa. 1. v. 16.

Audite eum omnes, qui laboratis, & onerati estis: & venite, ut vos reficiat, Matt. 11. v. 28.

Audite & obedite verbo ejus, quia salvare potest animas vestras, Jac. 1. v. 21.

Audite & obedite ei, quando de cruce

prædicat, ajens: Tollite jugum meum super vos, & discite à me, Matt. 11. vers. 9.

Postquam vero Servator præsentiam visibilem subtraxit nobis, & in cœlum ascendit, & verbi Præcones loco suo ordinavit, ut verbum prædicent, Marc. 16. v. 25. illos non aliter, ac si ipse præfens foret, audiamus. Qui enim vos audit, me audit, ait ipse Luc. 10. v. 16.

Joatham Sichemitas allocuturus, stetit in vertice montis Garitim, elevataque voce clamavit, & dixit: Audite me, Optimates Sichem, ita, ut audiat vos Dominus, Jud. 4. v. 7.

Similiter si & vos Christum, ejusque Ministros audieritis, vos vicissim, quando ad eum clamabitis, audiet, vosque ut obsequentes oviculas, quæ vocem ejus audierunt eumque sequuti sunt, Joh. 10. v. 27. ad se suscipiet, ut eum in vitam æternam sequamini, & ad faciem ad faciem intueamini, 1. Cor. 13. v. 12.

Id quod JESUS nobis largiatur, Amen!

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Evangelium Matth. 20. v. 1. - 16.

EXORDIUM.

Fuit olim Naboth Israëlita vinea, juxta palatium Achab Regis Samaria. Hanc expetit sibi Achab permutandam in hortum olerum, quia

vicina erat & prope domum ejus. Quia vero Naboth id tenuit facere, Jezebel uxor Regis prodaxit adversus eum duos viros falsum testimonium dicentes: Benedixit Deum

Deum & Regem, quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt, 1. Reg. 21. v. 1.

Hâc in parte Naboth typus Christi fuit. Naboth enim idem est ac *ἰεργόμων*, quo nomine Servator noster sæpius appellatur. Imprimis verò Baptista discipulos suos instruit, ut querant Dominum: Tu es *ἰεργόμων*, an alium expectemus? Matth. 11. v. 3.

Vinea notat Ecclesiam quæ & in veteri & novo Testamento vineæ confertur, imprimis verò Esa. 5. v. 2. Psal. 80. v. 9. Cant. 1. 2. 6. 7. cap. & alibi passim, quò & parabola hodierni Evangelii referri potest.

Sicut igitur Naboth vineam suam noluit permutare, ut hortus olerum fieret, quia eam hæreditariò à parentibus suis acceperat: Sic & cælestis Naboth, Servator noster pietissimus justo vineæ suæ zelo percitus, concedere noluit, ut in hortum olerum mutaretur, h. e. Pharisaicis traditionibus & falsâ doctrinâ corrumperetur, quia eum Pater ejus cælestis plantaverat, Psal. 80. v. 9. eique hæreditatem & possessionem dederat, Psal. 2. v. 8. Omnis enim, inquit, plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur, Matth. 15. v. 13. propterea sæpè cum Scribis & Phariseis conflictatus est, donec tandem, non quidem ut Naboth lapidibus obrutus, sed occisus, & in ligno suspensus est, Act. 10. v. 39.

Attamen inter Naboth & Christum hoc discrimen occurrit, quod ille vitam cum vineâ amisit: Christus vero tertio die resurgens, vineam suam adversus Diabolum & satellites ejus defendit, & defensurus est, ne eripiatur ei in æternum.

Hoc sine adhuc hodie exit cum primo diluculo, in seram usque noctem, ad conducendum operarios, qui eam colere tententur, ne sylvescat, sed uvas ferat, hîc in tempore gratiæ, fidem, caritatem, spem, & alios fructus Spiritus, Gal. 5. vers. 22. ibi verò æternum gaudium & salutem: Ubi non amplius bibemus de genimine vitis, Matth. 26. v. 29. sed de fluvio puro aquæ vivæ splendido, tanquam crystallo, procedente de sede Dei & agni, Apoc. 22. v. 1. jubilantes præ exultatione cordis in æternum, Esa. 65. v. 14.

Videbimus nunc

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Qui vineas possidere, iisq; cum emolumento frui vult, nulli labori, nec operæ parcat, sed tempestiva culturâ omnia adornet, necesse est, aliàs fieri amar, quod Salomo dicit: Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam stulti: & ecce, totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, Prov. 24. v. 30. 31.

Id probè perspexit Paterfamilias hic in prælectâ Pericope, de quo Christus ait, quod primo manè, deindè circa horam tertiam, post circa horam sextam & nonam, quin & circa undecimam exierit, conducere operarios in vineam suam, ne quid negligeret, sed omnia tempestivè efficerentur: sicut & operarii haud inviti in vineam abeunt, ad mandata Patrisfamilias exantlanda.

Querela erit, si consideraveris

I. *Laboris æconomici molestiam.* Hic Patrem familias per totum diem occupatum esse, percipimus, ut modò operarios conducatur, qui in colendâ ejus vineâ operam suam ei locent. Hæc idea est curarum & molestiarum, quæ in ækonomiâ occurrunt. Postquam enim Deus propter lapsum Adamo ejusque posteris pœnam & maledictionem imposuit, ut in sudore vultus vescantur pane suo, Genes. 3. v. 19. jam locum habet illud Salomonis: Cunctæ res laboriosæ: non potest eas homo explicare sermone, Eccl. 1. v. 2.

Licet enim nec velocium est cursus, nec fortium bellum, nec sapientium panis, nec intelligentium divitiarum, nec artificum gratia: sed tempus casusque in omnibus, Eccles. 9. v. 11. attamen debita cura adhibenda, nullusque labor fugiendus est, si utiliter rem expedire velis, sicut Jacob exemplo est, qui die noctuque æstu urgebatur, geluque, fugiebatque somnus ab oculis ejus, Gen. 31. v. 40.

Hinc Salomo: Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis, quid magis oriat, hoc aut illud: & si utrumque simul, melius erit, Eccles. 11. v. 6.

Equidem insignis Dei benedictio est, & gratiarum actionem meretur, si quis rem familiarem, ab agricultura, vinearum cultura & re pecuaria instructam habeat: sed & curæ, labores, pericula, & molestiæ non desunt, si omnia prout decet, administrari, & conservari debeant. Summa, labor & dolor, ut Moses testatur, Pl. 90. v. 11.

11. *Vulgi otiantis catervam.* Paterfamilias hic distinctis vicibus, uno die nonnullos in foro offendit otiosos, qui torpore & otio totum diem terunt, ideò tandem indignabundus ait: Quid hic statis totâ die otiosi?

Idem hoc vitium adhuc hodiè familiare est senioribus & adolescentulis. Si causam quæras, culpa hæret penes parentes, qui plerumque liberis in juventute nimium indulgent, nec eos ad orationem & honestos labores, neque ad pietatem adjuvantiunt, sed moribus suis vivere permittunt. Hinc est, ut adulti laborem fugiant, & ad varia vitia sese componant, quorum tantum abest ut rubore suffundantur, ut potius illudant peccatum, Prov. 14. v. 9. & iniquè agendo sese fatigent, Jer. 9. v. 5.

Hoc quòd vitetur, veri Christiani otium declinent, liberos quoque suos, à teneris, ut dici solet, unguiculis ad laborem perducant, ne otio pascantur, & in eo languescant. Otia enim dant vitia, Sir. 23. v. 29. Hoc inde est, quia *mens otiosa nihil cogitare novit, quàm de escis aut de ventre*, ut Leo dixit. Sive ut Chrysostomus loquitur: *Nihil boni facere, hoc ipsum est malum facere.* Cor enim hominis nunquam quiescere potest, si non bene, male agit: Sicut molendinum, nisi frumentum molat, seipsum conterit: Sic homo otio indulgens, seipsum perdit. Quilibet igitur illud Hieronymi observet: *Semper aliquid operis facito, ne te Diabolus inveniat otiosum.*

Præterea otium hoc incommodum affert cultoribus suis, ut tandem ad inopiam & men-

& mendicitatem illi redigantur. Qui enim stertit ætate, filius confusionis est, Prov. 10. v. 5. & vestietur pannis dormitatio, Proverb. 23. v. 21. Prov. 6. v. 9.

Hinc tot mendici hodiè occurrunt, qui variis prætextibus hoc vitæ institutum palliant: sed si penitus rem inspicias, desidia in culpa est, quia laborem fugiunt, & otio se ab incunabulis manciparunt. Hi quia inordinatè ambulant, & curiosè agunt, in Ecclesia minus ferendi essent, 2. Theff. 3. v. 11. Memento dicti Siracidis: Fili, noli mendicare; melius enim est mori, quàm mendicare &c. c. 40. v. 29. seqq.

III. *Operariorum malorum ideam.* Sicut enim in Evangelio audimus, eos operarios, qui circa primam horam conducti erant, cum Patrefamilias exostulare, dicentes: Hi novissimi unâ hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus: Sic adhuc hodie ejusmodi mercenarii, servi & ancillæ inveniuntur, qui non contenti sunt mercede promissa, sed si opus extraordinarium fortè obeundum ipsis committitur, peculiarem mercedem prætendunt, hinc non rarò cum heris suis exostulant, eos passim traducunt, aliosque à ministerio eorum prohibent. Hujus farinae mercenarii sæpè Dominos ad justam iram & indignationem irritant, sicut Hagar Saræ repugnantis, Gen. 16. v. 4. Et Zibæ Dominum Mephiboseth traducentis, exempla probant, 2. Sam. 16. v. 4.

Quod si Patres - & Matresfamilias petu-

lantia eorum sese opponunt, eosque ratione repugnantia objurgant, mercede postulatâ, iisdem valedicere & abitum parare non verentur. Quæ res non immerito pios heros, herasque mordet, iisque non rarò lacrymas exprimit, nec tamen eorum operâ carere possunt. Illa enim jam ætas agitur, quâ superbit puer contra senem, & homo inhonorabilis contra virum gravem, Esa 3. v. 5.

Verùm aliquando aliud judicium sequetur, ubi Dominus servum ejusmodi nequam dividet, partemque ejus cum infidelibus ponet, Luc. 12. v. 46. ubi unusquisque, quodcunque fecerit boni sive mali, hoc recipiet, sive servus, sive liber, Eph. 6. v. 8.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit

1. *Ex repetitâ vocatione.* Paterfamilias enim exit primo manè & vocat operarios de hora ad horam, quod & totum diem continuat, ne quis causam habeat justè conquerendi: miserationes enim ejus diluculo novæ, Thren. 3. v. 23. nec deletatur perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22. sed idèd exiit, ut nos introiremus, æternæque salutis participes evaderemus, quam Christus sanguine & morte suâ acquisivit nobis. Idèd idipsum piè agnoscamus, videntes, ne in vacuum gratiam DEI receperimus, 2. Corinth. 6. vers. 1.

Multi occurrunt, qui facilè sequuntur si latentur à peccatoribus, dicentibus: Veni nobis-

vobiscum, insidiemur sanguini, mar supi-
um unum sit omnium nostrum, Prov. 1.
v. 11. 14. aut quando ipsis Diabolus ostendit
omnia Regna mundi, & gloriam eorum,
Matth. 4. v. 8. aut à propriâ carne
pellicuntur ad peccata, quæ semper concupiscit
adversus Spiritum, Galat. 5. v. 17.
At Deo vocanti nemo auscultaturus, nemo
obtemperaturus est, sed quilibet quasi
in diem stertit, sive graditur in viâ non
bonâ, post cogitationes suas, Esa. 65 v. 2.
Tales homines omni salutarî solatio destituuntur,
spernant enim consilium Dei contra seip-
sos, Luc. 7. v. 30. qui de tenebris eos vocavit
in admirabile lumen suum, 1. Pet. 2. v. 9.
ipsi autem in luce ambulare renuunt,
communicantes operibus infructuosis
tenebrarum, Eph. 5. v. 11. id ipsum
verò simul consistere nequit, nulla enim
est conventio Christo ad Belial, 2. Cor. 6.
v. 15.

Genuini Christiani in vocatione hâc lætantur,
& ambulant in luce, ut filios lucis decet,
Luc. 16. v. 8. & certi sunt, quod in hoc
lumine aliquando visuri sint lucem æternam,
Psal. 36. v. 10.

II. *Ex vinea plantatione.* Exiit enim Paterfamilias
ad conducendum operarios in vineam suam:
hæc vinea est Ecclesia, sicut Esa. 5. v. 1.
Psal. 80. v. 9. & alibi passim vocatur.

Naturâ fuimus omnes vites sylvestres,
de vineâ Sodomorum, & de agro Gomorthæ:
uva nostra erat uva fellis, & vinum nostrum
fel Draconum, Deut. 32. vers. 32. quâ de re
Deus ipse conqueritur, inquit: Ego te
plantaveram vitibus generosis, & totam
optimo semine. Quomodo igitur con-
verla es mihi in palmites degeneres

vitis alienæ? Jerem. 2. v. 21. Verum per
Christum omnia meliorata sunt. Postquam
enim in baptismo, tanquam uvæ sylvestres,
ipsi insiti sumus, novâ nunc virtute potiti,
non amplius labruscas, sed uvas justitiæ
producimus, ut ille glorificetur, Esa. 61. v. 3.

Id quod ipse Deus promovet, quando
hanc vineam ita providentia sua fovet, ut
non modò muris ignis in circuitu ejus sit,
Zach. 2. v. 5. sed tempestivè rore & pluvîâ
irrigat, & vicissim Sole collustrat, & irradia-
diat, & ut semel dicam, facit, quod facere
debet, Esa. 5. v. 4. tanquam magnus ille
Paterfamilias cœli & terræ, qui nos curat,
custodit & conservat. *Er sorget für uns/
hüt und wacht / es steht alles in seiner
Macht.*

Ubi iterum perspicimus, ex propriis viribus
nihil nos efficere: gratia autem Dei sumus
quod sumus, 1. Cor. 15. v. 10. ideoque nihil
causæ est, ut superbiamus cum operibus
nostris bonis. *Va hominum vita, quamvis
laudabili, si remotâ misericordia judicetur,*
ait Augustinus. Quilibet potius oret cum
Davide: Ne intres Domine in judicium,
cum servo tuo, Psalm. 143. v. 2.

III. *Ex laboris compensatione.* Cum enim
serò factum esset, dicit Dominus vineæ
Procuratori suo: Voca operarios, & redde
illis mercedem, incipiens à novissimis
usque ad primos. Id quoque ille fecit,
cuilibet dans denarium, sicut Paterfamilias
cum iis pactus fuerat.

Hæc gratiæ merces est, quia non ad
proportionem meritum distribuitur,
aliâ plus meriti fuissent primi, qui pondus
& æstum diei portaverant, quàm qui
uni-

unicam duntaxat horam in vineâ laboraverant. Iccircò parabola hæc non ultrâ scopum extendatur, sicut in Papatu fit, ubi per hunc denarium vita æterna intelligitur, & simpliciores persuadentur, quod quilibet suis bonis operibus eam promereri de condigno possit, quod tamen proisus absoaum; sequeretur enim, quod & murmurantes & invidentes eam accepturi sint, sicut & hîc murmurantibus denarius datur, qui tamen expressè excluduntur, Galat. 5. v. 21.

Optimum est, ut analogiæ fidei ratio habeatur, quæ hæc est, quod coràm iudicio Dei, nemo de operibus & dignitate sua gloriari possit, si quidem omnia bona, quæ Deus homini præstat, & præstare promissit, merum gratiæ opus sunt, quod nõ promereri possimus; sed derivatur ex fonte misericordiæ Dei nostri, in quâ visitavit nos Oriens ex alto, Luc. 1. v. 28.

Exultate hinc ex animo, Dilecti! quod si vestrum meritum inane, Christi tamen sufficientissimum est, & propter eum cælestis Pater gratiæ hunc denarium largietur, si vespera ingruet, h. e. die ultimo, ubi Dominus unicuique reddet, juxta opera sua, Psal. 62. v. ult. Nam super peccatores pluet Dominus laqueos, ignem, & sulphur & Spiritus procellarum, Psal. 11. v. 6. Verùm vobis, credentibus in nomen ejus, alia merces proposita est, nempe vita æterna, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab illo, Tob. 2. v. 13.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quam tribus tractabimus Regulis, quarum

1. *Vocanti obtempera.* Hic audimus, operarios extemplò abiisse, & Patrisfamilias labores ita exantlassè, ut optimè cum ipsis contentus fuerit.

Deus noster adhuc hodie providentissimus ille Paterfamilias est, qui operarios vineæ suæ adhibet: Et sicut labor non idem, sed diversus est: Vites enim putandæ, pastinandæ, ablaqueandæ, pedandæ, pampinandæ, impinguandæ, verbò, probè colendæ sunt, si messis opima sequi debeat: Sic omnes Hierarchiæ operam dent, ut vinea Domini cultura suâ fruatur.

In statu Ecclesiastico Verbi Ministris inspectio debetur, ut attendant sibi ipsi & universo gregi, in quo eos Spiritus sanctus posuit Episcopos, Act. 20. v. 28. simul quoque ædificent & plantent, Jer. 1. v. 10. arguendo, increpando, exhortando, oportunè importunè, 2. Tim. 4. v. 2. non dubitantes, quin Deus incrementum daturus sit. 1. Cor. 3. v. 7. ne labor suus inanis sit in Domino, 1. Cor. 15. v. 58.

In statu Politico munus quoque suum observent Christiani Magistratus, tanquam nutritii & nutrices Ecclesiæ, Esa. 49. v. 23. ut gladio, quem illis Deus accinxit, palmites pampinarios, qui fructus non ferunt, sed fructuariis succum subtrahunt, præcidant, quo mala puniantur, & bona remunerentur, non enim sine causa gladium portant, Rom. 13. v. 4.

In statu quoque œconomico Christiani parentes, habent quod agant: ut novas virgas substituunt, quò si veteres vites deficient, semper novæ propagentur, & ita vinea in esse suo conservetur.

Palmites quoque teneros palis alligati convenit, ne à vento decutiantur, aut alio modo damnum patiantur. Hoc de puerorum educatione intelligatur, quam Deus parentibus commendavit. Adolescens enim imbutus, juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab eâ, Prov. 22. v. 6.

Quilibet in functione nullum laborem subterfugiat, sed sicut Dominus vocavit eum, ambulet, 1. Cor. 7. v. 17.

De Ammonio Historia Ecclesiastica refert, quod in Episcopum electus, sibi ipsi dexteram præciderit, expressè significans, nisi mitterent se, linguam quoque decurtaturum sibi esse.

Saul abscondidit se apud vasa, cum Rex Israelitis designandus esset, 1. Sam. 10. v. 22. Multi idèò conjugium fugiunt, quò molestâ liberorum educatione superfedere possint. Hoc verò nefas est. Homo enim natus ad laborem, ut avis ad volatum, Job. 5. v. 7. Atqui melius est laborare in vineâ Domini, quàm Satanæ Ministerio mancipare se; non oderis laboriosa opera, & rustificationem creatam ab Altissimo, Sir. 7. v. 16. bonorum quippè laborum, gloriosus est fructus, Sap. 3. v. 15.

II. *Gratiam Dei expecta.* Hic operarios, qui diei pondus & æstus portarant, & à Solis ortu ad vesperam in vineâ Domini laboraverant, cum Patrefamilias expostulare, & murmurare audimus. Verùm hic respondet illis, quod liceat sibi in rebus suis facere, quod velit: & quia sibi libitum fuerit, posteriores prioribus adæquare, non esse, ut id molestè ferrent, sed cogitareat potius, mercedem hanc non ex merito, sed ex promissione pacti censendam esse. Jam verò conclusit Deus omnes in increduli-

tatem, ut omnium misereatur, Rom. 11. v. 32. nempe propter Christum, quem toti mundo Servatorem dedit, ut omnes, qui credunt in eum, non pereant, sed habeant vitam æternam, Joh. 3. v. 16.

Id quod Apostolus passim in Epistolis suis inculcat. Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis, Roman. 3. v. 28. Confer Ephes. 2. v. 8. Luc. 17. v. 10.

Hæc nostra quoque mens est, qui expressè profiteamur, quod operibus nostris bonis, cælum & æternam beatitudinem promereri non possimus: non enim perfectè bona sunt, quia peccatores sumus, & volentibus bonum facere, malum adjacet, Rom. 7. v. 21. quod verò boni præstamus, non à nobis fit, sed à Spiritu sancto, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntate, Phil. 2. v. 13. idèò omnia in fide posita sunt, sine quâ impossibile placere Deo, Hebr. 11. v. 6. nam ut Gregorius ait: Quantum credimus, tantum diligimus. Fides radix sive arbor est, opera sunt fructus è fide prodeantes, hinc Ecclesia:

Quæ facta complacent Deo,

Verâ fide gignuntur;

Fidem improbamus meritò

Quam facta non sequuntur:

Fides tamen beat modò,

Fructus ministrant proximo,

Fidemque contestantur.

Hoc Pontificiis opponamus, qui operibus suis à seipsis excogitatis cælum promereri satagunt. Verùm frustrâ. Vita enim æterna est χάρισμα τῆ θεῶ, Rom. 6. v. 23. quæ iis datur, qui non operantur, (non querunt justificationem ex operibus.)

bus,) Rom. 4. v. 5. sed in Christum credunt, Johan. 3. v. 16. qui factus est nobis à Deo, sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. Si igitur gratia, jam non ex operibus: Alioquin gratia jam non est gratia, si autem ex operibus, jam non est gratia, quandoquidem opus jam non est opus, Rom. 11. v. 6.

III. *Solutionem presta.* Hâc in parte Patrifamilias nobis bono exemplo præit, quando Procuratori operariis mercedem redderemandat. Hinc Deus ipse: Non negabis mercedem indigentis, Deut. 24. v. 14. & seqq.

Inveniuntur, qui hâc in parte iustitiam non observant, dum mercenarios vel debitâ mercede iniquè defraudant, vel ultrâ tempus definitum differunt. Verùm hoc ipsum tale peccatum est, quod in cælum clamat, ut Veteres hoc versiculo significarunt:

Clamitat in cælum, vox sanguinis & Sodomorum,

Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Opera pretium videtur, id ipsum latius deducere.

1. Peccatum in cælum clamitans est *Vox sanguinis*, quando nimirum ille malitiosè & innocenter profunditur, quale exemplum legimus Gen. 4. v. 10. seqq. Cum enim Cain fratrem suum Abelem in agro occidisset, Deus eum interpellans ait: Vox fratris tui clamat ad me de terrâ. Sic sancti Martyres clamant voce magna dicentes: Usquequò Domine, sanctus &

verus, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum, de his, qui habitant in terra? Apoc. 6. v. 9. 10.

2. *Vox Sodomorum*, nempe effrenis illa & inhumana libido, quæ à Sodomitis perpetrata est. Vide Gen. 18. v. 20. cap. 19. vers. 24.

3. *Vox oppressorum*, quales sunt viduæ & orphani, horum quidem lacrymæ ad maxillam descendunt, sed exclamatio eorum super deducentem eas, Sir. 35. v. 18.

4. *Merces detenta laborum.* De quo Jac. 5. v. 4. & Deut. 24. v. 15.

Quantum igitur peccatum est, si sanguis innocenter profundatur, Sodomia exerceatur, si viduæ & orphani offendantur: tantum quoque peccatum est si mercenarii promeritâ mercede defraudentur; non minus in cælum illud clamat, quam iusti Abelis sanguis, Gen. 4. v. 10. aut peccatum Sodomorum, Gen. 18. v. 20. aut suspiria afflictorum Israelitarum in Ægypto, Exod. 3. v. 7.

Caveant igitur sibi Christiani, ne operariis & mercenariis meritam mercedem intercipient, æternum enim væ certissimè sequitur. Væ, qui ædificat domum suam cum iniustitiâ, & cænacula sua non in iudicio, qui proximum suum servire facit gratis, & mercedem ejus non reddet ei, Jer. 12. v. 13. Contrâ verò, quando operariis tempestivè promeritam mercedem largimur, merces quoque nostra eò copiosior erit in cælis, Matt. 5. v. 12. Sap. 5. v. 17.

Id quod fiat, per & propter Christum, Amen.